

compleant. Reliquæ autem virtutes et dona commensurantur gratiæ, ut proprietas formæ, et ideo justus, merendo augmentum gratiæ, consequenter aliorum donorum augmentum promeretur. Quod universaliter habet locum in virtutibus moralibus et Spiritus Sancti donis, idemque erit in fide et spe, nisi supponantur esse intensiores quam gratia ipsa, quod sæpe contingere poterit, quia vel possunt manere valde intensæ, amissa gratia, vel etiam augeri possunt extra statum gratiæ, juxta dicta supra in libr. 9. Tunc autem non videtur necessarium ut augeantur simul cum gratia, quia nec per se intenduntur per omnes actus meritorios, nec consequenter ad gratiam, quia hæc consecutio non est nisi secundum æqualitatem intensio- nis. Et hinc etiam est ut non sit ultra qualitatē meriti de condigno, quod tot habitus per unum actum augeantur, et interdum perfectiores virtutes per actum virtutis inferioris. Quia in merito non consideratur æqualitas physica in perfectione, essentia, aut numero qualitatis, sed proportio æqualitatis secundum moralem valorem, quæ proportio primo inter gratiam et meritum spectanda est, reliqua vero per modum unius præmii conjunguntur, quia qui meretur formam, omnia quæ ad illam consequuntur promeretur.

6. *Satisfit illi particulae tituli, quomodo. — Item illi quando.* — Quærendum vero supererat hoc loco per quos actus fiat hoc augmentum, et quando conferatur. Sed hoc in libr. 9 satis tractatum est, ubi resolvimus justos mereri hoc augmentum per omnes actus meritorios de condigno, et ordine nature præcedentes tale augmentum, illudque dari statim ac homo illud meretur, quia ex parte status homo est capax ejus, et nullum habet impedimentum, et habet jus ad illud, et ideo statim persolvitur ab æquissimo patrefamilias tanquam justum stipendium ad viam transigendam, vel necessarium, vel opportunissimum. Specialiter vero hic inquiri potest, quando incipiat tale augmentum et meritum ejus. Ad quod breviter respondeo fere semper incipere immediate post primum instans justificationis adultorum. Declaratur et probatur ex quodam principio supra posito, quod meritum actus de condigno per continuationem seu perseverantiam augetur. Ex quo sic argumentor, nam adultus ordinarie justificatur per aliquam dispositionem quam actu habet, cum justifica-

tur, et regulariter non durat in illo per solum instans, in quo fit justificatio; ergo immediate post illud instans incipit ille actus esse meritorius de condigno augmenti gratiæ, et consequenter etiam immediate post illud instans incipit gratia augeri. Antecedens quoad utramque partem notum est. Consequentia vero probatur, quia continuatio actus auget meritum ejus; sed immediate post illud instans est major vel nova continuatio actus; ergo incipit ille actus mereri majorem gratiam, seu augmentum ejus. Quia respectu augmenti habitus, jam ille actus præcedit non tantum natura, sed etiam duratione, saltem per instans, et aliæ conditiones necessariae ad meritum de condigno illi non desunt. Et confirmatur, nam homo jam justificatus, eliciendo novum actum in uno instanti, meretur certum gradum augmenti gratiæ præexistentis, et immediate post perseverando in illo, auget meritum, et consequenter habitum; ergo similiter qui per suum actum in ejus primo instanti justificatur in certo gradu gratiæ, immediate post perseverando in eodem actu augmentum ejusdem gratiæ meretur. Dices inveniri discrimen, quia actus hominis justificati est meritorius gratiæ de condigno in eodem instanti in quo fit; actus autem hominis qui justificatur, non est ita meritorius in primo instanti. Respondetur parum hoc referre ad meritum subsequens immediate post illud instans. Quia in illo primo instanti actus ille non est meritorius de condigno gratiæ, solum quia non supponit gratiam in persona; immediate autem post illud instans jam gratia supponitur actui ut perseveranti, seu continuato, et ideo meritum, quod tunc tantum erat de congruo respectu gratiæ primæ, immediate post incipit esse de condigno quoad augmentum ejus.

7. *Cur justus non semper immediate post opus mereatur augmentum gratiæ.* — Dixi autem hoc accidere fere semper, et non semper absolute. Primo, quia interdum potest deficere, vel in justificatione extra sacramentum, si fingamus contritionem tantum durare per instans, quod, humano modo loquendo, vix contingere potest, vel in prima justificatione per sacramentum, si contingat hominem parum antea attritum baptizari, vel absolvi quando jam est dormiens, vel omnino distractus, ita ut in ipso instanti justificationis actualem dispositionem non habeat; tunc enim non incipiet mereri gratiæ augmentum,

donec incipiat ex gratia operari. Secundo, posui limitationem illam, quia contingere potest ut in eodem instanti justificationis homo incipiat augmentum gratiæ mereri. Quamvis enim hoc rarissimum sit, non tamen est impossibile. Intelligendum est autem non per eundem actum, quo se ad gratiam primam disposuit. Quia gratia prima, quæ ratione illius actus ut dispositionis, vel meriti de congruo, in illo instanti infunditur, est commensurata, et quasi adæquata illi actui, et ideo non potest pro eodem instanti ad novum gradum gratiæ promerendum ordinari aut valere. Potest autem contingere ut homo vel Angelus justificatus per unum actum, in eodem instanti novum actum habere incipiat, verbi gratia, actum gratiarum actionis, vel spei gloriæ, vel alium similem; hoc enim nullam rationem repugnantiam includit, quia non repugnat habere simul tempore duos actus quorum unus natura sit prior, et dispositio ad gratiam sufficiens; alter vero in eodem instanti per ipsam gratiæ infusionem cum nova divina motione excitetur. Tunc ergo iste posterior actus erit meritorius novæ gratiæ de condigno, quæ in eodem instanti temporis, posterius vero natura infundatur. Dices repugnare ut qualitas in eodem instanti infundatur et intendatur. Respondeo, ab eadem causa quasi naturaliter agente, seu cum eadem dispositione, non posse quidem in eodem momento infundi prius natura, et simul intendi, quia a principio, et quasi unico impetu, agit quantum potest; tamen multiplicata causa, vel dispositione proxima, non repugnare gratiam, quæ ratione unius dispositionis tanta infusa est, addita in eodem instanti nova causa dispositiva simul et meritoria, augeri, præsertim ab agente libero, ut est Deus qui actionem suam accommodat juxta recipientis dispositionem ac meritum. In hoc ergo nulla apparet repugnantia, quamvis in hominibus illa multiplicatio actuum seu dispositionem cum illo causalitatis ordine raro aut nunquam contingere videatur.

## CAPUT XXVI.

UTRUM JUSTUS CONSERVATIONEM GRATIÆ, SEU USQUE AD MORTEM PERSEVERANTIAM IN GRATIA, ALIÆVE GRATIÆ AUXILIA, SEU PRÆSENTIS VITÆ SUBSIDIA AD SALUTEM ÆTERNAM CONDUCENTIA, DE CONDIGNO MEREATUR?

1. *Arguitur primo pro parte affirmante quantum ad perseverantiam.* — *Arguitur se-*

*cundo.* — *Tertio.* — Primo ac præcipue propter perseverantiæ donum hæc quæstio proponitur, consequenter vero de aliis auxiliis dicemus, quia ex eisdem principiis pendet, et ideo connexa sunt. Circa perseverantiam autem prima ratio dubitandi esse potest, quia perseverantia gratiæ consistit in gratiæ conservatione; per hoc enim unusquisque in gratia perseverat, quod Deus in illo gratiam conservat; sed homo potest mereri de condigno, ut Deus gratiam quam sibi semel dedit in ipso conservet; ergo. Probatur minor, tum quia plus est augeri gratiam quam conservari; sed homo de condigno meretur augmentum suæ gratiæ; cur ergo non merebitur conservationem? tum etiam quia homo de condigno meretur gloriam et æternitatem ejus; ergo et gratiam, quæ necessario ad gloriam supponitur. Secundo, quia in operibus justorum est proportio sufficiens ad merendum de condigno perseverantiam tanquam illorum præmium; ergo non est cur negemus etiam ex parte Dei intervenire quicquid ad tale meritum necessarium est. Probatur consequentia, quia, si justitiam et liberalitatem Dei spectemus, consentaneum rationi est ut ex se paratus sit ad retribuendum justis omne præmium eorum operibus proportionatum. Si autem Scripturas aut Ecclesiæ definitiones consulamus, nihil invenitur quod huic merito contradicat; cur ergo negabitur? Tertio, quia si aliqua ratio obstat, maxime quia justus in hac vita possent reddi securi de sua perseverantia, quod repugnat Scripturis. At hoc non sequitur, tum quia non possunt esse certi quod meruerint perseverantiæ donum, et consequenter neque quod illud habeant; tum quia si ponamus justum posse mereri de condigno perseverantiam, non est nobis certum per quos actus illam mereri possumus, neque, si id sciremus, esset nobis certum quod illos actus sicut oportet faciamus; tum denique quia justus non est certus de sua justitia; ergo nec de suo merito de condigno; ergo multo minus potest certo scire quod suam perseverantiam promeruerit. Sicut probabile est posse justum infallibiliter impetrare a Deo perseverantiam, orando sicut oportet, et nihilominus non potest esse certus quod illam obtenturus sit, quia non potest certo scire se orasse sicut oportet ad illam infallibiliter impetrandam.

2. *Prima assertio negans.* — *Falsum fundamentum.* — Nihilominus dicendum est primo

non posse justum aliquem mereri de condigno perseverantiam in gratia. Sumitur ex D. Thoma, dicta quæst. 114, art. 9, et ex aliis Theologis, qui quæstionem attigerunt in 2, distinct. 27 et 28, nam multi ex illis intactam reliquerunt, ut Scotus, Gabriel, Durandus, Bonaventura, Albertus, Ægidius, Argentinus, et fere alii antiqui, ut Altis., Alens., etc. Latius hoc tradiderunt novi Theologi, et assertionem de fide esse docuerunt, præsertim Medina, Cumel. in dicto artic. 9. Unde operæ præmium erit, hunc certitudinis gradum expendere, ut paulatim ad veras et solidas probationes assertionis perveniamus. Quod ergo assertio sit certa de fide, probari solet primo ex Scripturis, quæ docent hujus vitæ perseverantiam semper esse incertam; ideo enim monet Paulus, 1 Corinth. 10: *Qui se stare existimat, videat ne cadat*; et ad Philippens. 2: *Cum timore et tremore vestram salutem operamini*; Apocalyp. 3: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; et Eccles. 27: *Nisi in timore Domini continueris te instanter, cito subvertetur domus tua*. Ex quibus locis et similibus putant dicti auctores colligi assertionem esse de fide certam, quia si homo mereretur de condigno perseverantiæ donum, non esset quod jam timeret. Sed illatio hæc non est formalis, ut tertia ratio dubitandi ostendit; et quia alias probaret etiam non posse justos mereri de congruo, aut impetrare perseverantiæ donum, quod infra falsum esse ostendimus. Igitur ex illis locis tantum conjectura probabilis sumitur. Nam cum status viæ semper sit status formidinis et timoris de propria infirmitate et fragilitate, nullum est fundamentum ad ponendum meritum de condigno obtinendi a Deo donum quo infallibiliter perseveratur. Conjecturæ seu illationis efficacia ex dicendis explicabitur.

3. *Secundum fundamentum etiam rejicitur.* — *Etenim non urget.* — Secundo, probatur ex Conciliis, et primo inducitur Concilium Viennense in Clement. *Ad nostrum*, de Hæret., quatenus in ea damnantur Beguardi, dicentes homines posse justos in hac vita ad eum statum perfectionis pervenire, in quo sint impeccabiles, nam hoc videtur sequi, si homo perseverantiam infallibilem mereatur. Sed ex illo Concilio nullum argumentum ad rem præsentem assumi potest, nam ibi damnantur hæretici, dicentes hominem in hac vita interdum ad eum statum perfectionis posse venire, ut sit penitus impeccabilis. Quod fun-

dasse videntur in alio errore, qui ibi quarto loco ponitur, quod perfecti in hac vita perveniunt ad omnem gradum perfectionis, quem sancti habent in patria. At vero per donum perseverantiæ non assequitur homo gradum perfectionis patriæ, nec fit penitus impeccabilis, licet non permittatur peccare, ut supra visum est; ergo licet aliquis diceret posse aliquem in hac vita mereri de condigno perseverantiæ donum, nullo modo in illum damnatum errorem incideret. Etenim negandum non est Deum aliquibus in hac vita hoc donum concedere, et tamen, licet id faciat gratis, neque gratis facit illos impeccabiles, aut æque perfectos, ac sunt beati; ergo, licet daret idem donum ex merito, non ideo ex tali merito faceret illos impeccabiles, aut ita perfectos.

4. *Tertio quoque ex Tridentino non cogitur.* — Tertio, affertur Concilium Tridentinum, sess. 5, cap. 11 et 13. Sed neque ex illo aliquid efficaciter probari potest. Quod ut declaretur, duo distinguere oportet, scilicet, posse perseverare per donum utique sufficiens tantum ad perseverandum, et actu perseverare per donum efficaciæ perseverantiæ. De priori tractat Concilium in priori capite, et solum docet dari omnibus justis, quia quantum est ex parte Dei, auxilium ut perseverare possint omnibus justis datur seu offertur, et Deus justum non deserit, nisi prius deseratur ab ipso. An vero hoc auxilium sufficiens detur justis mere gratis, etiam supposita eorum justificatione, vel illud possint homines jam justificati mereri de condigno, Concilium neutrum docet, nec attingit. Et ideo neutrum censeo pertinere ad fidem, sed in mera opinione esse positum; quid autem verisimilius sit, statim dicam. De posteriori proprio, et perfecto perseverantiæ dono tractat Concilium in alio cap. 13, et duo definit. Unum est, *donum illud aliunde haberi non posse, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet*. Aliud est, de hoc dono, *neminem sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceri posse*. Ex neutro autem istorum sequitur neminem posse tale donum de condigno mereri. Non quidem ex primo, quia augmentum a solo Deo dari potest, et nihilominus non datur sine merito de condigno, per se loquendo, ac seclusis sacramentis; ergo, licet donum perseverantiæ a solo Deo detur, non sequitur semper dari gratis, et non posse etiam sub meritum de condigno cadere. De secundo vero jam id ostensum est,

quia, licet homo posset de condigno mereri perseverantiam in gratia, incertus esset de suo merito; ergo etiam esset incertus de dono, ac proinde non posset illud sibi absoluta certitudine polliceri, sed tantum sub conditione, si illud meruerit, aut Deus illud gratis dare voluerit.

5. *Quartum fundamentum ab inconvenientibus.* — *Primum.* — *Non cogit primum esse assertionem de fide.* — Quarto, afferuntur rationes ab inconvenienti, sumptæ ex aliis principiis fidei. Una est, quia sequitur eum qui semel est justus, infallibiliter salvari, quia si meruit de condigno perseverantiæ donum, infallibiliter illud habebit, quia meritum de condigno, si absolutum sit, non frustratur suo præmio; at vero meritum hujus doni, si sit de condigno, non potest includere conditionem aliquam, quæ incertum reddat præmium, qualis est, si per hominem non steterit, aut si non peccaverit, quia ipsum donum excludit talem conditionem, nam per illud infallibiliter fit ut non peccetur; ergo qui meruerit de condigno illud donum, infallibiliter illud obtinebit; ergo infallibiliter salvabitur. Altera ratio est, quia si homo posset de condigno mereri donum perseverantiæ, ratio cur ex duobus justis unus perseveraret, et non alius, sumenda esset ex parte hominis merentis, et non ex parte Dei; consequens est repugnans fidei, ut in libro de Persever. late Augustinus ostendit; ergo. Verumtamen, licet hæ rationes valde probabiles sint, ad confirmandam rem de fide non sufficiunt. Nam prior licet probet illos justos, qui semel meruerint de condigno hoc donum, infallibiliter salvari, non tamen id sequitur absolute de omnibus semel justificatis. Quia, licet asseratur hoc meritum esse possibile aliquibus justis, non est necessarium asserere de omnibus; vel, licet dicatur aliquem actum posse esse ita insignem, ut tali merito sit proportionatus, non ideo est eadem ratio de omnibus. Vel etiam dici potest tale præmium non esse uni actui propositum, vel promissum, sed alicui collectioni meritorum quam solus Deus novit.

6. *Non etiam cogit secundum.* — Ad alteram vero rationem responderi potest primo, licet hoc meritum sit possibile, non tamen esse necessarium in omnibus qui donum perseverantiæ recepturi sunt, nam potest Deus illum dare sine tali merito gratis omnino. Et fortasse frequentius ita facit. Unde distinguenda est sequela argumenti, nam si

inferatur, semper ac necessario rationem, cur perseverantiæ donum detur huic justo potius quam illi, sumendam esse ex merito alterius, negatur sequela, quia fieri potest et sæpe fit ex sola voluntate Dei. Si vero sensus illationis sit, aliquando posse rationem illius discretionis sumi ex merito alterius justi, nullum videtur inconveniens. Nam de merito de congruo multi id admittunt, et de impetratione est multo probabilius, ut infra dicemus; et tamen quoad hoc est eadem ratio; quia etiam tunc ratio aliqua diversitatis sumitur ex parte hominis; quod autem hæc ratio sit major vel minor, non habet peculiare inconveniens contra fidem. Addi vero potest, licet tunc detur ratio aliqua proxima ex parte hominis, illam esse fundatam in priori gratia Dei, atque ita rationem illius discriminis ultimate resolvi in gratiam Dei, et hoc est quod Augustinus, in libr. de Bono persever. intendit, nam semper intendit excludere meritum non fundatum in gratia, non tamen illud quod in priori gratia nitatur.

7. *Judicium D. Thomæ et aliorum de certitudine assertionis.* — D. Thomas ergo simpliciter assertionem positam docuit ut Theologicam conclusionem, tantumque abest ut tanquam certam de fide illam tradiderit, ut abstracte de merito perseverantiæ locutus fuerit, satisque incertum sit an solum meritum de condigno, vel etiam de congruo negare voluerit, cum tamen multi Theologi meritum de congruo admittant respectu perseverantiæ, ut postea suo loco dicemus. Et eodem modo locutus est Antonius, 4 part., tit. 9, cap. 7, § in fine, et Cajetanus, Conradus et Valentia circa dictum articulum; Viguer., cap. 3, § 5, vers. 8, et Bellarminus, lib. 5 de Justificat., cap. 22. Ut vero distincte illam probemus, duo ad perseverandum in gratia necessaria distinguenda sunt. Unum est influxus physicus, quo Deus gratiam per se et immediate conservat; aliud est earentia obicis seu impedimenti, quod ex parte hominis prædictæ conservationi divinæ potest apponi. Unde cum hæc duo sint ad perseverandum necessaria, ut homo mereatur de condigno perseverantiæ donum, oportet ut utrumque mereatur, quia unum sine altero non sufficit. Quia vero Deus gratiam, quam dedit, paratus est semper conservare ex parte sua, ideo præcipua difficultas est de altero necessario ex parte hominis, et ideo primo ac præcipue videndum est cur non possit homo mereri de condigno, ut nunquam conservationi

gratiæ peccando obicem ponat; supponimus autem non posse hominem justificatum perseverare actu sine peccato, nisi speciali et efficaci auxilio gratiæ præveniatur; et ideo punctum quæstionis est in hoc auxilio, cur non possit homo illud de condigno mereri.

8. *Adulorum triplex perseverantiæ modus. — Resolutio de primo modo.* — Ad hoc ergo explicandum, advertendum est adulorum perseverantiam (nam in illa sola locum habet quæstio) tribus modis posse contingere: primo, sine novo actu, vel auxilio positivo post primam justificationem; secundo, per unum tantum auxilium efficax post primam justificationem; tertio, per plures actus, pluraque auxilia efficacia post primam justificationem, in quo tertio membro potest esse varietas in majori vel minori numero auxiliorum, sed quod ad præsens attinet, eadem est ratio de merito illius collectionis, sive major, sive minor sit. In primo modo manifestum est non posse hominem sic perseverantem donum perseverantiæ suæ mereri, quia per actum, quo fuit justificatus, non meruit de condigno gratiam; ergo nec perseverantiam in illa; sed post justificationem nullum alium habuit actum bonum, vel malum, ut in casu supponitur; ergo nec post justificationem potuit perseverantiam mereri. Explicatur amplius talis perseverantiæ modus et auxilium. Sic enim perseverat aliquis, quando, statim ac baptizatur, verbi gratia, vel absolvitur, vel conteritur de peccato in quo jacebat, immediate post moritur, antequam peccet, vel bene operetur. Unde donum perseverantiæ in hoc solum tunc consistit, quod Deus ex singulari providentia rapit hujusmodi hominem, ne malitia mutet intellectum ejus. Non potest autem homo mereri de condigno, ut Deus secum talem providentiam habeat, maxime per solam dispositionem ad primam gratiam, quæ communis est omnibus qui justificantur, neque in uno potest esse magis meritoria, quam in aliis. Unde, cum certum sit non habere tale meritum in omnibus, certum est in nullo illud habere. Quod etiam ex sequenti puncto a fortiori confirmabitur.

9. *Resolutio de secundo. — Probatio bimembris. — Incipit probari primum membrum.* — Præterea, in secundo modo perseverandi per unum actum meritorium de condigno, certum etiam est non posse justum mereri suam perseverantiam. Probatur, quia illud donum perseverantiæ in duobus

consistit, nimirum, in auxilio præveniente efficaci, seu vocatione congrua, quæ ad illum actum infallibiliter efficiendum datur, et in hoc quod post talem actum justus rapiatur, priusquam malitia mutet mentem ejus. Quæ duo in hoc continentur, quod illa vocatio datur in tempore opportuno, non solum ad bene agendum, vel servandum mandatum, aut vincendam tentationem, sed etiam ad non peccandum finaliter, quæ est specialis gratiæ providentia. Qualis intelligitur esse in eo qui statim post Baptismum coram tyranno fidem confitetur, et martyr efficitur, et extra martyrium facile etiam accidere potest. Neutrum autem illorum potest cadere sub meritum de condigno talia beneficia recipientis. De priori, seu auxilio ipso probatur, quia illud auxilium est prima vocatio efficax ad faciendum opus meritorium de condigno; ergo non potest cadere sub meritum de condigno. Antecedens notum est, quia, licet ante illam præcesserint aliæ vocationes efficaces, illæ non fuerunt ad merendum de condigno, sed ad se disponendum ad primam gratiam, et si fortasse post justificationem præcesserunt aliæ vocationes, nulla earum fuit efficax; nam si aliqua efficax fuisset, ab illa processisset opus meritorium de condigno, et tunc illud fuisset prius, ac proinde altera vocatio non esset ad primum opus meritorium de condigno, ut supponebatur; ergo loquendo de vocatione efficaci, quæ post justificationem datur ad faciendum unicum opus meritorium de condigno, per quod perseveratur in gratia usque ad mortem, necesse est ut post justificationem illa sit prima vocatio efficax ad digne operandum.

10. *Trogrreditur probatio. — Effugium.* — Jam ergo probatur consequentia, quia impossibile est primum auxilium ad merendum cadere sub meritum ejusdem operationis et ejusdem personæ, ut patet in merito de congruo; nam primum auxilium ad primum actum meritorium de congruo, non potest esse ex merito de congruo ejusdem recipientis auxilium, quia vel esset ex illo merito, cujus est principium, et hoc repugnat, ut sæpe dictum est, vel ex priori merito congruo, et tunc vel illud meritum esset ex priori auxilio, et sic aliud non esset primum, ut supponebatur, vel esset sine auxilio gratiæ, et hoc repugnat gratiæ et fidei. Hic autem discursus eodem modo vel fortius applicatur ad meritum de condigno, quia illud primum au-

xilium, quod ad tale meritum datur, non potest ex eodem merito dari, quia est posterius illo, cum ipsum auxilium sit principium talis meriti. Neque etiam potest dari propter prius meritum de condigno, quia jam falsa esset suppositio, quod illud esset primum meritum de condigno, vel quod illa esset prima vocatio efficax ad illud. Quæ ratio non solum habet vim, quando talis vocatio non solum est prima, sed etiam ultima, et ideo induit rationem doni perseverantiæ, sed etiam quotiescumque vocatio est prima in illo ordine, etiamsi ultima non sit, quia ratio æque procedit. Solum video superesse subterfugium, si quis dicat vocationem efficacem, quæ præcessit ad contritionem, seu dispositionem ad primam gratiam, simul esse vocationem ad meritum de condigno, saltem mediate, ut sic dicam, quia ipsa contritio, licet non sit meritoria de condigno primæ gratiæ, est meritoria primæ gloriæ; et ita, licet subsequens vocatio sit prima ex his quæ subsequuntur justificationem consummatam, non tamen est simpliciter prima, etiam respectu meriti de condigno.

11. *Nihil obstat. — Ad idem ratio optima.* — Sed hoc nihil obstat, quia ipsa contritio, etiam formata per gratiam, non est meritoria de condigno alterius vocationis efficacis ad merendum iterum de condigno, sive illa contritio sit meritoria primæ gloriæ de condigno, sive non sit, quod postea expendemus. Quia si non est meritoria de condigno primæ gloriæ, eadem ratione non erit condigne meritoria subsequentis auxilii efficacis, quia minorem habet cum illo proportionem, et ex parte principii habet eandem difficultatem, quia non procedit ab habitu gratiæ. Et saltem certum est non semper intervenire hoc meritum, quia sæpe fit ut, in instanti in quo homo justificatur, jam actus, quo se disposuit, non sit, ut supra notavi. Si vero illa contritio est meritoria de condigno primæ gloriæ, eo ipso non est meritoria alterius vocationis efficacis, quia infallibiliter fiat, ut ipsa gloria augeatur vel etiam consummetur, quia hoc esset meritum ultra condignum. Præterea est optima ratio, quia illa contritio ex se, et natura sua non tendit ad alteram subsequentem vocationem, sed immediate ad primam gratiam, et, mediante illa, ad gloriam tali gratiæ proportionatam; hic enim ordo est connaturalis; quod autem post justificationem sequatur altera vocatio, est mere accidentarium et contingens; ergo, considerata rei natura, meritum talis

actus ad summum esse potest de congruo primæ gratiæ, et de condigno primæ gloriæ; ergo vel nullo modo esse poterit meritum de condigno alterius efficacis vocationis, vel, ut esset, necessaria fuisset extrinseca Dei ordinatio et promissio, de qua non constat, neque cum fundamento affirmari potest. Imo a posteriori convinci potest non dari tale meritum, neque divinam ejus ordinationem. Quia certissimum est non omnes qui justificantur mereri de condigno alteram vocationem sibi dandam ad aliud opus meritorium de condigno efficiendum; nam contingere potest ut is, qui per talem dispositionem justificatur, vel nullum postea habeat meritum aut demeritum, si sit prædestinatus ad solam illam gratiam et gloriam, ut in primo modo perseverandi diximus; vel etiam ut tantum habeat demerita, si sit reprobis. Ubi enim a Deo est statuta lex, ut nullus sit justus, qui postea non habeat alia merita? ergo contritio per se non meretur de condigno novam vocationem postea dandam; nam si illam mereretur, omnes contriti illam mererentur, et omnes illam reciperent, ut supra in simili efficaciter probatum est in secundo argumento in principio posito. Nec etiam dici potest in quibusdam esse sic meritoriam de condigno, et non in aliis, quia et hoc gratis diceretur, et esset contra rationem meriti de condigno, quod fundamentum habere debet in ipso opere et dignitate operantis, et ideo idem opus non potest in uno esse meritorium de condigno unius præmii, et non in aliis, si cætera paria sint.

12. *Probatur alterum membrum positum in num. 9.* — Superest probanda pars altera de illa circumstantia, quæ auxilium illud efficax in ratione doni perseverantiæ complet, quatenus non solum datur ut efficax ad vitandum unum peccatum, sed etiam ad finale peccatum vitandum, quia post illum actum infallibiliter morietur justus, priusquam aliam occasionem peccandi habeat; nam si auxilium illud cum tali circumstantia non daretur, non esset perseverantiæ donum, ut per se notum est; nam multi post primam justificationem accipiunt auxilium efficax ad merendum de condigno, non tantum semel, sed etiam sæpius, qui donum perseverantiæ non recipiunt; ergo illud auxilium primum datum præcise ad merendum de condigno, non est perseverantiæ donum, nisi ei addatur altera circumstantia, et consequenter, licet daremus posse justificatum hominem mereri illud auxi-